



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

4 Martii. 4 Nonas Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

4 Martii. 4 Nonas Martii.

**V**irginee Casimire, qui summâ hieme cilicio potius, quàm regiâ veste, indutus, templa nudipes obiisti: cui pro lecto regio, terra placuit: qui mori virgo maluisti, quam non virgo vivere: qui candidatus, etiam post mortem, eques, præsentem opem tuis pugnantibus attulisti: cujus integrum corpus, plurimis post annis, repertum, & super pectus inventus MARIANUS ille tuus hymnus, quem tu *omni die* MARIÆ dixisti. Scio, illa me morientem sequentur, usque ad æternitatem, quæ Dei, quæ MARIÆ honori, amori, dixero, fecero. Adsis mihi in agone pugnantem, & pro me ora; ut ita *omni die dicat* MARIÆ *mea laudes anima*, ut in supremo vitæ die, ad sinum MARIÆ vadat *devotissima*. Amen.

S. Agathodore M. qui, quemadmodum S. Jacobus, magister tuus, apud Cæsaraugustam, & Braccaram; ita tu Tarraconæ, augustissimæ Dei Matri templum condidisti, ac sub ejus nomine illud Deo dedicâsti.

S. Luci Papa, decollate.

Sancti

Sancti nongenti Romani MM.

Sancti Cai, & Palatine, in mare demersi, & alii viginti septem MM.

S. Hadriane, qui post horrenda, & varia supplicia, & mortem, Nataliam conjugem tuam ad cælum invitans, dicebas: *Veni ad nos in requiem tuam*: & illa te felici morte secuta est invitantem.

Sancti viginti tres MM. crurifragio consummati.

Sancti Archelae, Cyrille, & Photi, MM.

Sancti Basili, Eugeni, Agathodore, Elpidi, Ætheri, Capito, Ephram, Nestor, & Arcadi, omnes Episcopi Martyres.

S. Petre Abba, qui, ut Deo soli vacares, Episcopatu deposito, carnem loricâ, & jejuniis domans, ter millenis plures Christo religiosè initiâsti discipulos: qui eversâ naviculâ, in mare cadens, ficcus per aquas ad littus evasisti: qui tepido Religioso per quietem visus, eum cecidisti, & spiritu ferventem fecisti: à Religioso moriente dæmonem, in avis nigræ specie illi visum, aquâ lustrali fugâsti: post mortem obtrectatori cuidam in somno visus, eum verbis, ac verberibus

beribus corripuisti: alii magnæ virtutis Religioso sæpius conspectus, eum, si quâ in re erraret, monuisti: alium inquietum, minaciter arguisti: alium negligentem, ad orandum pro mortuis, & ut se ad mortem, brevî obcundam, præpararet, hortatus es. Excita èt me; hortare, mone, move, corripe: fac, ut ita flagranter ac sanctè agam, atquè si te, vel alium è cælesti curiâ, præsentem hortatorem viderem, & audirem. nam verè adest mihi, me videns, Deus; licèt illum ego non videam.

OMNES SANCTI, &c.  
pag. 44.

*S. MARIA, cum cuius quotidiano hymno, pectori imposto, S. Casimirus voluit sepeliri. Fac, ut ita faciam omni die, quæ amori tuo facio, ut etiam post mortem illa tibi honori, mihi solatio sint!*

5 Martii. 3 Nonas Martii.

**S** Conon, cum virgine conjugæ virgo, qui S. Michaëlem Archangelum magistrum habuisti, quomodò ad baptismum, quomodò ad sacrosanctum Christi Corpus, debeas accedere: qui parentes